libet eius dedicatoriam legenti patet, ullam scripturæ *subtilitatem*, sive aliquem sacrum (nisi forsan TE) tetigit montem; sed diras, quibus prægravamur, calumnias, easque ex certâ tangit scientiâ: Cùm non sit adeò rudis & stupidus, ut tu eum somnias ac bestiali convicio tangens apertè BESTIAM vocas.

Nam & Philosophiæ & saltem per annum Sacrosanctæ Theologiæ operam dedit Lucernæ Helvetiorum: vellemque te talem, qualis ipse est, bestiam esse: Ita enim sine ullâ *temeritate* docibilis Dei, & multò, quàm nunc es, capacior fores ad sanctorum scientiam salubriter perdiscendam.

Falsum est 12. quòd Innocentius III. decreverit ho- *ad pag. 16.*
minem simplicem & indoctum scripturæ subtilitatem attingentem similem esse bestiæ lapidandæ *Cap. Cùm ex injuncto 12. de Hæreticis.* Agit enim ibi Innocentius contrà eos duntaxat Laicos, tàm mulieres, quàm viros, qui in urbe & diœcesi Metensi, spretis Sacerdotibus, tanquàm ipsis prudentiores, *occulta conventicula celebrantes officium prædicationis Christi sibi usurpabant, eorumq; consortium aspernabantur, qui talibus non inhærebant, ac super his reprehensi temerarii exsurgebant in Prælatos*; quæ utique erat temeritas bestialis.

Hinc titulus Capitis. *Cùm ex injuncto*, non est ille: Laicus, sive homo simplex & indoctus attingens scripturæ subtilitatem est bestia, vel similis est bestiæ lapidandæ; sed hìc: *Laici non prædicent, nec occulta conventicula faciant, nec sacerdotes reprehendant*, publicè nimirum, temerariè, & animo detrahendi, ut exponitur in textu; ubi & dicitur, quòd contra Parochos inutiles & indignos agendum sit ordinatè apud Episcopum, *ad cuius officium tàm institutio, quàm destitutio sacerdotum* noscitur pertinere.

Hæc, & non alia, nec contra alios, quàm contra temerarios illos ac rebelles Innocentius III. ibidem decrevit; Decretumq; illud variis stabiliens argumentis, etiam hâc *Exodi* 19.
de monte à bestiâ non tangendo ornavit figurâ; quæ tamen